



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 6. De causa memorita ex bono liberi arbitrij vus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

abundantiora, quæ non dat Deus omnibus, quantumcumque sint bene illis viri. Næg hoc pertinet ad voluntatem generalem, quæ Deus vult omnes homines saluos fieri: nam ex illa solum nascuntur auxilia sufficientia, alia vero supponunt specialem voluntatem, & dilectionem, quæ non potest in talibus operibus fundari, vt ostensum est.

17. At enim, refert Augustinus dicto libro de Bono perseuer. cap. 9. disputatorem quendam Catholicum de Tyrijs, & Sydonijs respondisse, ideo Deum non decreuisse, vt illis prædicaretur Euangelium, licet præuiderit, si prædicaretur, eos fuisse credituros, quia simul præuiderit non fuisse in fide permanentes, sed turpius postea lapsuros. Quam fere sententiam inuenio in Origene libr. 3. Periur. cap. 1. Eam vero inconstantiam, & contradictionem acute redarguit Augustinus. Nam si illis credituris non est prædicatum Euangelium, ne grauius postea cadendo delinqueret ergo illud prouidentiam genus fauor potius quidam fuit, quam poena: ergo non punit Deus peccata sub conditione præuisa, sed potius illa excusat: ergo nec reddit præmium pro bonis operibus sic præuisis. Deinde, si Deus præuidens lapsuros Tyrios post fidem, voluit eorum maiorem ruinam euitare, nonne melius cum eis ageret, ad fidem eos trahendo per Euangelij prædicationem, & statim eos rapiendo, ne malitia mutaret intellectum eorum? Aut cur non potius hoc meruissent per fidem, quam adhibere de facto Euangelio prædicato, quam potuerint demereri prædicationem Euangelij per inconstantiam in fide sub conditione tantum præuisam. Maxime, quia iuxta eorum doctrinam, eadem fides sub conditione præuisa potest esse ratio obtinendi prædicationem Euangelij, & postea exhibita, vel absolute præuisa potest esse meritum aliorum subsequentium donorum.

18. Vnde etiam apparet in illo dicendi modo quædam contradictio, nam idem peccatum apostasie à fide, vel recidui post penitentiam, præuisum sub conditione dicitur esse causa demeritoria prædicationis Euangelij, quam ipsa fides futura merebatur, & simul dicitur esse causa, ob quam Deus non dat talibus hominibus maiorem occasionem ruinæ. Præterea, cum non sit minus meritoria fides, quam sit demeritoria inconstantia in fide: quomodo inconstantia, quæ postea futura præuideretur, potest impedire, ne fides prius futura suum præmium consequatur? Accedit tandem, quod eadem ratione dici potest præuisum esse simul Deum, post illum lapsum, & recessum à fide semel concepta, acturos illos iterum penitentiam, & in ea permanentes, & sic poterimus in infinitum procedere, si licentia datur huiusmodi causas sine fundamento confingendi. Est ergo huiusmodi genus causæ prorsus absurdum, temere excogitatum, & Catholicæ doctrinæ aperte contrarium.

CAPVT VI.

Nullam hominis actionem ex solis viribus liberi arbitrij procedente virtute, & merito sui, esse posse causam prædestinationis, quoad effectus eius. Contra Pelagianos, & Semipelagianos ostenditur.

1. Am in hoc capite sermo est de actibus humanis quos homo prædestinatus in hac vita mortali exercet, quos oportet bonos, & honestos esse, quia per malos actus non meretur homo gratiam, vel prædestinationem, sed indignationem potius, vel reprobationem, de qua postea dicturi sumus. Duplices autem esse possunt, vel intelligi huiusmodi actus: quidam sunt ex viribus naturalibus liberi arbitrij humani

Suarez: de Deo trinuno.

profecti, quos naturales vocamus, non vt naturale distinguitur à libero, sed à supernaturali eos tamen (vt supra dixi) morales appellabimus breuitatis, & claritatis gratia. Alij sunt profecti ex viribus gratiæ, cooperante libero arbitrio, qui & liberi, & supernaturales sunt: de his posterioribus dicemus postea, nunc de prioribus agimus. Non distinguimus autem inter actus huius ordinis antecedentes, vel subsequentes ipsos effectus prædestinationis, quia punctus præsentis difficultatis non consistit in his respectibus prioris, vel posterioris: sed in conditione talium actuum, quod naturales nimirum sint. Nam si ex hac conditione nascitur, vt tales actus esse non possint causa effectuum prædestinationis, etiam si antecedant ad huiusmodi effectus, non poterunt esse eorum causa, multo minus, si sint posteriores ipsis effectibus. Igitur de antecedentibus actibus sermo est, nam de his stabilita veritate, à fortiori constabit de subsequentibus. Præsertim, quia c. 7. ostendimus, nullum actum subsequentem esse posse causam antecedentis effectus prædestinationis, in eodem homine prædestinato.

Igitur circa quæstionem sic expositam, occurrit primo error Pelagij, quem late refert Augustinus h. g. ref. 88. & Epistol. 89. & de prædest. Sanct. & de Bono perseuer. Hieronymus in Epist. ad Thesiphontem de hac re, & in Dial. contra Pelag. Vincent. Lyrin. Contra profanas nouitates c. 34. & Prosper in Ep. ad Rufinum. Omisissis autem alijs eius erroribus, in præsentem asseruit, gratiam Dei non esse necessariam, vel ad bene operandum, vel vt homo se disponat ad remissionem peccati obtinendam, vel ad perseuerandum vsque ad mortem sine peccato, vel ad merendum de iustitia gloriam. Et quantum diceret, gratiam Dei esse vtilem, & ideo aliquando conferri, dicebat tamen vnicuique dari iuxta bona merita liberi arbitrij. Vnde vel omnino auferebat prædestinationem, vel ponebat illam in sola voluntate dandi gloriam, ex præuisis meritis, & liberi arbitrij: & cum aliquibus admittet dari gratiam, saltem ad facilius operanda, etiam concedebat dari causam eius quoad omnes, & singulos effectus illius ex parte liberi arbitrij humani. Quod si forte de infantibus interrogaretur, in primis negabat in illis peccatum originale, & ideo ex eius sententia non indigebant prædestinatione, vel gratia ad vitam æternam consequendam. Distinguebat autem ille vitam æternam à regno cælorum, vt videre licet in Aug. 1. de peccat. meritis c. 18. & 20. & Epist. 106. & sumitur ex Concilio Mileuit. & Arausic. in principio & ideo concedebat paruulos indigere baptismo ad consequendum regnum cælorum. Causam autem, ob quam quidam infantes consequantur regnum cælorum per baptismum, & non alij, nunquam satis explicuit, quia in paruulis inuenire non potuit opera liberi arbitrij, quibus hoc tribueret. Fortasse tamen id referret, vel in bonum meritum parentum, vel in humanam diligentiam cuiuscumque ministri baptizantis paruulum, ex quadam generali Dei prouidentia, absque alia prædestinatione, vel prouidentia speciali.

Hic error Pelagij longe aliter refertur à quibusdā modernis, qui gratiam efficacem ponunt in physica prædeterminatione, sed ea res latius à nobis tractanda est in alio speciali opere, seu libro de illa re. Nunc satis nobis sit, illum errorem supponere, prout ab Augustino refertur, & prout damnatus est in Concilio Mileuitano cum epistolis Innocentij ad ipsum & ipsius ad Innocent. quæ sunt vigesima quinta, & vigesima sexta, inter epistolas Innocentij, & postea latius in Tridentino sessione sexta. Et contra illum scriptis Augustinus maiorem partem septemtomij, & sigillatim quoad singulos errores improbat in materia de peccato originali, & de gratia. Ad præsens vero sufficiunt testimonia in præcedenti capite adducta, in quibus Paulus docet, prædestinationem, & electionem Dei non esse ex

^{2.} Pelagij error August. Hieronym.

^{3.} Hic error Pelagij refertur

Quæstio 104.

operibus nostris: quæ in sequentibus latius expendenda sunt.

4.
Sententia
Cassiani,
Fausti, &
Anatorum.

Post victum Pelagium infurrexerunt in Gallia contra Augustinum multi viri Catholici, inter quos præcipue fuerunt Cassianus, & Faustus, qui contra Pelagium fatebantur, gratiam Dei esse necessariam ad opera sanctitatis præstanda, & gloriam promerendam, & obtinendam dispositionem convenientem ad remissionem peccati: aliquod tamen initium salutis reseruarunt libero arbitrio, vt propria salus sit in potestate hominis constituta. Et ideo dicebant, necessarium esse, vt homo incipiat per aliquem bonum motum, quem Deus postea promoueat, & perficiat: & ita in hoc bono motu constituebant primam causam salutis ex parte nostra: eamque dicebant esse meritum omnium gratiarum supernaturalium, solumque ipsum liberum arbitrium vocabant gratiam gratis concessam, more Pelagij, vt ex ipso Prosperi constat. Quis autem sit hic bonus motus, variè explicabant. Quidam dicebant esse fidem, seu voluntatem credendi, quam ab operibus distinguebant, & vtebantur contra Augustinum eiusdem testimonio, in quibusdam propositionibus circa epistolam ad Rom. propositione sexagesima, & sequentibus. Quibus ipse plane respondet retractando illam sententiam, in libro de Prædestinatione Sanctorum capite decimo tertio. Alij dicebant hoc initium esse aliqual desiderium salutis: alij orationem ad Deum ex propria libertate factam, vel aliquid simile, vt videri potest in Prosperi, & Hilario in epistolis sæpe citatis ad Augustinum. Et hunc errorem insinuat Faustus Rhegiens. libro primo de Gratia, & libertat. arbitrii capite duodecimo. Expressius, libro secundo, capite nono, itemque Cassian. collat. 13. à cap. 8. Fundamentum huius sententiæ satis iam insinuatum est, & in sequentibus latius tractabitur.

5. Huic errori adiungebant alium Semipelagianum, quem ad præsentem causam etiam pertinere Augustinus sentit. Aiebant enim non solum posse hominem suo arbitrio solo velle credere, sed etiam in fide semel concepta semper perseverare. Ita referunt Prosperi, & Hilarius in dictis epistolis, & expresse Augustinus libro de bono perseuer. de Semipelagianis loquens ait

Vide Prosperi
ad excor.
Genues
c. 6. & se
contendunt.
contra Cassianum.

Quam fidem, & incipere habere, & in ea usque in finem permanere, sicut in quantum non à Domino accipiamus, nostrum est. Genues c. 6. & se contendunt, & infra, Haec dicentes nolunt hominibus præsentem fidem, Dei dona esse, vt veniant ad fidem, & permaneat in fide. Et eadem sumitur ex l. de Præd. Sanct. c. 1. 2. 17. & sequentibus. & ep. 105. & 106.

6. Dubium vero esse potest, de qua fide loquatur Augustinus, scilicet, an de fide formata charitate, an de fide secundum se, etiam mortua. Nam in priori sensu clarum est perseverantiam esse donum Dei, & valde proprium prædestinationis. At in sensu posteriori non videtur ita certum: nec pertinere ad præsentem causam, cum hæc perseverantia in sola fide valde frequens sit in reprobis. Item ipse Augustinus variè esse videtur, nam in dicto capite decimo septimo de bono perseuer. per hoc donum, ait, dari hominibus, vt credentes & fideles permanent. Cap. autem 23. eiusdem libri illam perseverantiam in fide, significat non esse in hominibus qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur. Sane, quod ad Semipelagianos attinet, non solum circa perseverantiam in fide viva, sed etiam in fidei credulitate, secundum se spectata vel mortua errasse existimo. Quia, sicut initium fidei, vel ipsam substantiam fidei soli voluntati tribuebant, ita videntur perseverantiam in eadem credulitate eidem voluntati soli ascripsisse. At, sicut est certum, fidem, & initium fidei esse ex gratia, ita etiam à fortiori perseverantiam in fide, etià per se spectata sine charitate, id est, ad non committendum aliquod peccatum hæresis, vel infidelitatis, quo fides excludatur. An vero donum gratiæ ad hanc solum perseverantiam requiritur, sit solum ipsummet do-

num fidei continuatum, cum auxilijs supernaturalibus illi quasi debitis, & ordinarijs, vel ultra hæc includat aliud speciale donum, quæstio esse videtur, quæ inter Catholicos, sine periculo Semipelagianæ erroris controuerti potest: illam vero ad materiam de gratia remittimus, quia ad præsentem negotium prædestinationis, & ad contradicendum Semipelagianis satis est, quod ostendamus, esse donum gratiæ supernaturalis.

Aliud præterea dubium in hoc errore superest, quo sensu isti intelligerent, actualis perseverantiæ donum, non dari prædestinationis ex sola Dei voluntate, sed ex merito illorum. Ita enim de illis refert Prosperi, *Nolunt perseverantiam prædicari, quæ non vel simpliciter emerit, vel contemni contumaciter possit.* Loquebantur autem maxime de perseverantia in gratia, & sine peccato damnabilium de sola perseverantia in fide, nulla erat difficultas supposito suo errore. Dubius autem rem modis intelligere potuerunt, donum perseverantiæ non dari sine proprio merito. Primo, sine merito solius liberi arbitrii: secundo, sine merito iam fundato in actibus gratiæ. In hoc posteriori sensu non videtur posse illud dogma, erroris notari, quia possumus per gratiam mereri de congruo perseverantiam, quod satis ad præsentem causam est, neque hoc meritum repugnat gratiæ prædestinationis, vt infra videbimus. Vnde si hoc tantum asserent Galli, non habebant in hoc nouum errorem ad præsentem materiam pertinentem. Alter vero sensus est quidem erroneus, non videtur tamen posse cum fundamento attribui Semipelagianis, quia illi post initium fidei, quod nature tribuebant, dicebant esse necessariam gratiam ad bona opera pietatis necessaria ad salutem, vt August. supra ponit, & alij Patres referunt. Quomodo ergo potuerunt perseverantiam in iustitia soli libero arbitrio attribuerent?

Respondeo, quantum ex Prosperi, Hilario, & Augustino colligo, illos non totam perseverantiam attribuisse viribus liberi arbitrii, sed meritum initij totius perseverantiæ. Non enim solum asseriebant mereri homines fidem, vel corroboracionem, & permanentiam in fide, per voluntatem credendi, sed etiam mereri perseverantiam per naturalem voluntatem, seu affectum, desiderium, aut petitionem perseuerandi. Sicut enim aiebant, *volentibus, pulsantibus dari fidem, & cetera.* ita dicebant dari perseverantiam. Et in hoc sensu ait Hilarius eos dixisse, *Perseuerantia donum volentibus dari ex præcedenti proprio arbitrio, quod ad hoc liberum asserunt, vt velis, vel nolis accipere medicinam.* Atque hoc sensu pertinet valde hic error ad præsentem causam, cum enim potissimum medium prædestinationis sit hæc perseverantia in iustitia, tribuendo soli libero arbitrio causam illius doni, consequenter ponebant causam totius prædestinationis ex parte effectum eius. Quia non solum dabant causam prædestinationis quoad primum effectum, & donum gratiæ, fundatam in actibus moralibus, sed etiam eandem causam dabant quoad subsequentiæ dona gratiæ, ad perseverantiam necessaria. Et ita est intelligendus hic error Semipelagianorum de initio salutis, non solum quoad initium fidei, sed etiam quoad initium spei, charitatis, poenitentiae, continentiae, & aliarum virtutum, per quarum actus in gratia perseueratur. Quod est attenre notandum ad intelligenda varia loca Augustini, & aliorum Theologorum.

Non desunt autem Theologi, qui tertium in hac parte errorem Semipelagianis attribuant, & hoc titulo quandam aliam Catholicorum sententiam Semipelagianam faciant. Aiunt ergo, Semipelagianos, etiam in hoc errasse, quod libertati voluntatis tribuerent efficaciam gratiæ circa ipsos actus supernaturales, quod alij vocant *initium efficacium*.

Vide Aton
sicam.

Initium
liberitatis
quæsi-
tione
si.

sacra gratia. Nam per hoc etiam causam prædestinationis, & discretionis inter electos, & non electos libero arbitrio tribuebant. Veruntamen, nec Augustinus, nec Prosper, nec Hilarius, quoad hanc partem attribuerunt errorem peculiarem Semipelagianis. Nā, quod liberum arbitrium cooperetur his actibus, & in suo genere sit causa illorum, & in eos influat, & in determinationem ad illos, & in proximum initium illorum, quoad suum esse, (quidquid illud initium sit) quoad hæc (inquam) omnia, sententia hæc catholica est, & valde consentanea secundum fidem. Effert autem error dicere hæc omnia, vel aliquid eorum facere solum liberum arbitrium sine gratia. Hoc autem non dixerunt Semipelagiani, ut discrete tradit Augustinus libro de Bono perferer. capite vigesimo primo, & sæpe alias. Neque etiam legimus, ex illo capite posuisse causam prædestinationis quoad totā illam, vel quoad ea media, quæ efficaciter mouet liberum arbitrium. Sed si qui Doctores in hac parte lapsi sunt, fuerunt nonnulli Scholastici, ut infra capite septimo videbimus. Igitur Semipelagianis nihil amplius imponere necesse est, præter id, quod Augustinus, & alij Patres eis attribuunt: De quo puncto in alio loco ex professo disputabimus.

10. Tandem posset cum hac sententia Semipelagianorum coniungi alia, quorundam Scholasticorum, qui causam prædestinationis, quoad omnes effectus eius assignant ex bonis operibus moralibus præcedentibus totam iustificationem, & factis ex solis naturalibus viribus liberi arbitrij. Veruntamen ne videamur sententiam Catholicorum, cum erroribus ab Ecclesia damnatis involuere, & quia verera credim⁹, sententiam illam non esse omnino eandem cum sententia Semipelagianorum, & continere propriam difficultatem, ac proinde per se postulare prolixam disputationem, ideo in sequens caput illam remittimus.

11. Igitur hoc loco cum Semipelagianis solum agendum est. Nam de Pelagianis non oportet plura dicere, vel quia eorum error manifestissimus est, vel quia potius circa totum ordinem gratiæ, quam circa solam prædestinationem errarunt: ideoque in materia de gratia ex professo referendus est: vel quia ex his, quæ contra reliquias Pelagij dicemus à fortiori tota Pelagij machina destruetur. Vt autem solide, & sine verborum ambiguitatibus possimus causam cum Massilienibus, seu reliquijs Pelagianorum agere, duo à nobis explicanda sunt in eorum sententia. Primum est, quid per initium fidei, boni operis, gratiæ, aut salutis ipsi intelligerent, nobisque intelligendum sit, ut eandem rem impugnemus, quam ipsi asseriebant. Secundum est, de qua causa morali loquuti sint, & præsertim an de meritoria de condigno, vel abstracte, siue de condigno, siue de congruo, siue imperatoriæ, & cætera. Nam hoc etiam scire multum ad veritatis manifestationem, & ad vim argumentorum, & ad distinguendas opiniones erroneas à non erroneis referret. Atque huc item spectat scire, an hæc causa sit ita necessaria & infallibilis, ut sine illa nemo comparet prædestinationis effectus: & nemo illam adhibeat, qui non sic infallibiliter prædestinatus: nam hoc distinguere multum conferet ad punctum veritatis intelligendum.

Ad explicandum primum punctum, duplex initium in hac materia distinguo. Vnum intrinsecum, aliud extrinsecum. Intrinsecum appello, quod est quasi internum fundamentum, vel prima pars illius rei cuius principium dicitur: extrinsecum ergo erit illud, quod antecedit hoc primum fundamentum, & est causa ob quam poni incipiat. Vnde illud dicitur potest principium formale, hoc vero causale. Ut verbi gratia, Concilium Araucanicum capite quinto, loquitur de initio fidei & ex-

ponit esse ipsum credulitatis affectum, quod potest intelligi de affectu proximo & efficaci, id est, de voluntate credendi efficaci, & potente ad mouendum intellectum ad credendum sicut oportet: & hoc initium voco ego initium intrinsecum fidei, quia moraliter facit vnum actum cum ipsa fide, & considerando illum actum, ut compositum ex voluntate, & intellectu, volitio est quasi prima pars, & fundamentum illius compositi. At si per affectum credulitatis solum intelligatur simplex quidam affectus inefficax quo incipit placere fides, & desiderari, velendo (ut sic dicam) nondum volendo: de hoc constat non esse initium formale vel intrinsecum fidei, quia ex vi illius, nihil, quod ad formalem constitutionem fidei pertineat, positum est. At, si ille qualiscumque effectus est aliquo modo causa ratione cuius incipit esse in homine ipsa fides, vel aliquod initium eius internum, merito dicitur principium fidei, magis tamen extrinsecum, seu causale potius, quam formale. Quia omnis causa principium est, & si non est talis causa, quæ intrinsece constituat effectum, potest dici aliquo modo extrinseca. Similiter Concilium Tridentinum sessione sexta, capite octauo. *Vocat fidem initium iustitiæ.* Quod quidem, si intelligatur de integra formali iustitia, necesse est etiam intelligi de initio intrinseco. Vnde simul vocat *fundamentum, & radicem omnium*, (id est totius) *iustificationis.* Et capite septimo, dixerat iustitiam, quæ est nostra iustificationis formalis causa, complecti fidem, & spem, & charitatem. In hac ergo iustitia fides dicitur initium, quia in ea fundantur reliqua. licet ipsa etiam per se, ac formaliter ad integritatem, & quasi compositionem huius iustitiæ pertineat. At si per iustitiam intelligeremus solam gratiam sanctificantem, sic fides non esset initium eius intrinsecum, quia nec illam intrinsece componit, imo nec ita illam fundat, quin eadem gratia possit absque fide manere, ut manet consummata in gloria, & in Christi anima fuit cum scientia infusa sine fide. Quod etiam in actibus ipsis euidenter apparet, est enim fides fundamentum spei, non ita ut interne componat ipsam spem, sed ut sit causa & basis eius, eodemque modo est fundamentum charitatis. Sicut enim materia est fundamentum formæ, & non est pars eius, sed ex utraque confurgit vna essentia, ita fides est fundamentum spei, & charitatis, &c. extra illarum rationem existens, ex omnibus tamen vna iustitia completur in qua internum initium est fides.

De Semipelagianis mihi non satis exploratum est, de quo initio loquantur. Nam in primis cum agunt de initio fidei, illud que libero arbitrio tribuunt, videntur de ipsa met fide loqui, quæ est internum initium iustitiæ modo iam declarato, ita ut dicere initium fidei, perinde sit ac dicere, initium quod est fides. Et in hoc sensu videtur improbari hic error ab Augustino toto libro de Prædestinatione Sanctorum, ostendendo fidem esse opus Dei, & donum gratiæ: neque ad impugnandum hunc errorem in hoc sensu plura hic dicere oportet, tum quia in hac parte coincidit cum Pelagianismo, tum quia, quæ Augustinus congerit satis superque sunt, & si plura desiderentur, in materia de gratia & de fide tradenda sunt.

Reprobato autem hoc errore in hoc solo sensu, non satis expugnatur quoad negotium prædestinationis, quia adhuc superest quæstio, an prædestinatio quantum ad illud initium fidei (quantumuis sit gratiæ effectus) habeat antecedentem causam ex parte nostra. Addo etiam non satis constare, quod Semipelagiani fuerint in illo errore, quod fides Christiana non sit ex gratia. Accurate enim distinguebant fidem à fidei initio, & de fide videntur non negasse quod sit opus gratiæ, sed solum de initio fidei. Hac enim ratione Concilium Araucanicum capite quinto distincte definiuit, *Non solum fidei fundamentum,*

13.

De quo in h. vi. fidei locum fuerit in Semipel.

14.

Handwritten notes in red ink on the right margin, including the words "Araucanicum" and "iustitia".

Initium fidei quod est quædam...

sed etiam initium fidei hoc est ipsum credulitatis affectum, esse ex gratia. Nam de fidei incremento id fatebantur Malsilienses, vt Augustinus libro 1. de Prædestin. Sanctorum capite 1. & 2. ex Prospero, & Hilario refert. Dum autem Concilium exponit initium fidei, id est, affectum credendi, indicat incrementum fidei, non esse intentionem fidei, sed effectiorem ipsius actus credendi, cum maiori perfectione, quam possit habere ex sola motione naturalis affectus credendi. Atque ita videntur sensisse Galli, voluntatem credendi esse naturalem, non tamen per se sufficere ad fidem perfectam in intellectu generandam, nisi quatenus impetrat gratiam ad hoc necessariam, & ita vocabant illam voluntatem initium fidei. In quo sensuerunt hic error damnatur in dicto Concilio Arausicano, iuxta verum & Catholicum sensum eius. Non enim defuerunt Catholicis, in hac parte fauentes Semipelagianis, & Canonem illum ad falsos sensus detorquentes: sed contra hoc in materia de gratia, & de fide ex professo agendum est: quanquam res sit factis clara, ex testimonijs etiam, & argumentis, quæ Augustinus pro fide adducit. Quando enim Paulus dicit, fidem esse donum Dei, non loquitur de fide præcise, vt est actus intellectus, sed de tota fide, vt est quidam actus humanus, quo captiuam voluntarie intellectum in Dei obsequium. Et ideo alibi dicitur, credidisse omnes, quorum Deus aperuit corda, nihil enim aliud est cor aperire, quam voluntatem inclinare & facere vt velit. Denique generalia testimonia, quæ statim indicabimus, ad probandum omnia opera pietatis esse ex gratia, probant de illa voluntate credendi, quæ ad pietatem valde necessaria est.

15. Propter quæ vix credi potest, Semipelagianos per initium fidei, quod tribuebant naturæ, intellexisse voluntatem illam, quæ proxime imperat actum fidei infuse, & mouet intellectum ad credendum sicut oportet. Quia, vt statim dicam, in omnibus operibus pietatis agnoscebant gratiam esse necessariam, etiam quoad proximum, & quasi intrinsecum initium eorum. Vix autem ignorare poterant, quia illa voluntas sit opus pietatis, nec poterant rationem reddere, cur voluntas poenitendi, vel sperandi inchoetur à gratia, & non voluntas credendi. Videntur ergo ante totum actum credendi sicut oportet, vt includit tam intellectum quam voluntatem posuisse alium credulitatis affectum naturalem, & fortasse simul aliam fidem imperfectam, & ordinis inferioris, quæ sit initium non intrinsecum, sed extrinsecum perfectæ fidei, & consequenter totius salutis, quatenus vim habet impetrandi à Deo gratiam ad altiorum fidem. Et de hoc incremento videtur loqui Augustinus dicto libro de Prædestinatione Sanctorum capite secundo, dum refert, Semipelagianos dixisse, Ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo. Hoc enim incrementum non videtur esse per intentionem, vel aliam maiorem perfectionem eiusdem actus, sed per eleuationem ad altiorum actum fidei. Quod si hæc fortasse fuit sententia Semipelagianorum, non satis impugnatur quoad negotium prædestinationis, probatio actum credendi sicut oportet, & voluntatem illi proportionatam, fieri non posse sine gratia: quia adhuc inquitur difficultas, an illa gratia, quæ datur ad sic credendum, & ad volendum sic credere, habeat ex parte nostra aliam priorem causam, scilicet illam qualemcumque fidem & credulitatis affectum, quem nos ex nobis efficere posse Semipelagiani volebant.

16. Propter quam fortasse causam, solent aliqui Semipelagianos impugnare ex hoc capite, quod asseruerint, posse liberum arbitrium suis viribus habere actum fidei, etiam imperfectum, & naturalem circa res fidei sibi exterius propositas, cum affectu

etiam naturali, & imperfecto tali fidei proportionato: vel etiam posse habere velleitatem aliquam, seu desiderium imperfectum credendi, sicut, & quantum necesse est. Atque ex hoc capite quidam impugnant, & cum Semipelagianis sentire dicunt eos, qui docent liberum arbitrium sine gratia, posse habere hos affectus, & actus imperfectos, non solum fidei, sed etiam spei, charitatis, poenitentię, &c. Solentque contra hanc sententiam ac si esset Semipelagianorum obijcere Scripturæ loca, in quibus omnia bona opera gratiæ tribuuntur, quæ vulgaria sunt, & id eorum tantum breuiter attingam. Primum est illud Ioann. 15. Sine me nihil potestis facere. nam illa fides, & affectus aliquid boni est, ergo fieri non potest sine Christo, id est, sine gratia Christi, & influxu eius, vt exponunt Patres, & Concilia, & eleganter Trident. cap. 6. Secundum est, ad Corinth. 4. Quid habes, quod non accepisti, quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Multum enim habere homo, vnde in se gloriarı possit, si ex se, & sine gratia Dei possit vtinque credere, vel amare. Legatur Augustinus de Prædest. Sanctorum cap. 4. & 5. Tertium est 2. ad Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nam vt Augustinus sæpe expendit, omnis boni initium est sancta cogitatio, quæ necessariò præcedere debet ante omnem bonum, & liberum motum voluntatis: ergo si illa cogitatio non potest esse ex nobis, sed ex Deo, non potest fides illa ex nobis esse: & ideo dicebat alibi idem Paulus, Qui capis in vobis bonum opus, ipse perfaciat, ad Philippenses 1. & 2.

Sed hi Authores non distinxerunt duo, quæ in hac materia distinguere necesse est, ne grauius in ea errarent, & sub vmbra Semipelagianorum viri catholici & doctissimi impugnentur. Aliud ergo est, posse liberum arbitrium habere suis viribus imperfectum affectum, vel actum fidei: aliud est, posse per actum huiusmodi esse sibi causam gratiæ, & auxiliij necessarij ad perfecte credendum, sicut oportet: Vtrumque autem horum asseruerunt Semipelagiani, verumtamen in primo non errarunt, nisi quatenus illi adiunxerunt secundum, imo propter hoc posterius, illud prius putarunt esse necessarium. At vero, si primum à secundo separatur, sicut à Catholicis separatur non solum ad errorem Semipelagianorum non pertinet, verum communis est Theologorum sententia, & ipsa experientia nota. Nam hæreticus credit multa mysteria fidei, non per gratiam, sed per propriam voluntatem, quia imperfecte, & solum humano modo credit. Et nos sæpe similes actus facimus, alias quodammodo credimus, vel amamus, certi essemus, quod sicut oportet credimus, vel amamus, quod plane falsum est. Quod si in nobis inueniuntur hi actus imperfecti, certe non sunt tales, quales esse oportet ad pietatem & iustitiam coram Deo, ergo non pertinet ad Semipelagianorum errorem dicere, ad hos actus imperfectos non esse necessariam gratiam, quia Concilia solum definiunt esse necessariam ad tales affectus efficiendos sicut oportet. Nec etiam dari potest ratio, ob quam liberum arbitrium non possit tales actus imperfectos efficere, cum illi ex se ordinem naturæ non excedant: quod de bonis operibus moralibus latius infra dicemus, nam omnium eadem est ratio, quantum ad singulos actus spectat, ita enim nunc loquimur. Quanta vero possit esse perfectio talium actuum, vel quæ sit illorum imperfectio, diligenter obseruare oportet, ne plus aliquid tribuatur libero arbitrio, quam par sit: verumtamen hoc in materia de gratia tractandum est, ad præsens enim satis est, quod non attingunt illum gradum perfectionis, quem Concilia requirunt cum addunt illam particulam, sicut oportet. Quam his verbis explicuit Augustinus libro de Correptione, & gratia, capite secundo. Quando id agunt, sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiam suam autem quæ dedit

de dicit Dominus, ut terra eius daret fructum suum, accepisse se gaudeant.

18. Quae circa testimonia illa Scripturarum, si ad hoc afferantur, ut ex eis colligatur, tales actus imperfectos sine gratia fieri non posse, nihil probant. Quia in illis locis sermo est de operibus pietatis, quae ad vitam aeternam conducunt: nam quae huiusmodi non sunt, pro nihilo reputantur, ut expresse declarat Augustinus libro de praedestinatione Sanctorum. cap. 2. & alij locis, quae infra referemus. Alioquin eisdem testimonijs probaretur, non posse liberum arbitrium sine auxilio gratiae facere vnum opus bonum morale: quod quam sit falsum infra ostendam. Adducta vero illa testimonia ad confutandum Semipelagianam sententiam, constituentem in his actibus principium fidei, saltem extrinsecum, & causale, ut sic dicam, validissima sunt, & illis vitur Augustinus citatis locis, prout statim concludemus, & declarabimus.

19. Quae autem diximus de initio fidei, applicari cum proportione possunt ad initium cuiuslibet operis pietatis, & consequenter, multoque magis ad initium totius salutis, vel etiam perseverantiae. Nam dubitari etiam potest, an Semipelagianij tribuerint libero arbitrio initium singulorum operum pietatis, vel solius fidei. Nam hoc posterius indicat Hilarius in sua epistola dicens: *Ceterum ad nullum vel incipiendum, nec dum persciendum, quemquam sibi posse sufficere consentiunt.* Quae fere verba refert Augustinus libro de praedestinatione Sanctorum capite primo, repetens ea, in quibus iam secum conveniebant, ut alia persuaderet. *Pervenit etiam (inquit) ut praeveneri Dei gratia voluntatem hominum fateantur, atque ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel persciendum, sibi quemquam sufficere posse consentiunt.* Et capite secundo idem reperit: indeque ad hominem argumentatur, quod si liberum arbitrium per se non sufficit ad initium alicuius operum pietatis, nec ad initium fidei sufficiat cum opus fidei non sit omnium infirmum, sed difficultius, magisque arduum, ac perfectum, quam multa ex reliquis. Aliunde vero apparet, Semipelagianos tribuisse libero arbitrio initium omnium operum pietatis, & Deo, seu gratiae solum progressum, & perfectionem illius initij. Nam ut supra notavi, ipsam etiam perseverantiam in iustitia libero arbitrio tribuebant: non quia negarent esse necessarium adiutorium, & verum spiritum gratiae ad perseverandum, sed quia illud ipsum putabant, habere aliquod initium ex nobis, perseverantiam autem non datur nobis, nisi quatenus collectio illorum operum, quibus perseveratur, nobis confertur: nec collectio ipsa praestatur, nisi quatenus singula opera totius collectionis nobis donantur, quia collectio non est aliquid praeter opera, nec fit, nisi quatenus ipsa sunt. Igitur eo modo, quo perseverantia est a nobis, ipsa bona opera pietatis sunt a nobis, at perseverantia ponebatur ad Semipelagianis esse a nobis, saltem quoad initium, ergo & singula pietatis opera. Unde Cassianus libro secundo de institutione renunc. capite decimo tertio, inter bona opera, quibus nos ex nobis gratiam Dei impetramus, ponit ieiunia, vigiliis, lectiones, & cetera. & capite decimo quarto, ait, His solis non posse perfectionem consummari sine gratiae Dei adiutorio, ad illud tamen obtinendum necessaria esse illa opera. *Quia non datur nisi desiderantibus, laborantibus, persistentibus, volentibus, & currentibus, & concludit. Praesto est namque, occasione tantum sibi a nobis bona voluntatis oblata, ad haec omnia conferenda.* Vbi satis aperte videtur ad omnia virtutum opera, ad quae gratia necessaria est, requiri ex parte nostra aliquod praeium initium.

20. Duobus ergo modis haec conciliari possunt. Primo, asserendo Malsilenses non tribuisse libero arbitrio proximum initium gratiae, nisi quoad fidem, seu voluntatem credendi, tamen illud ipsum po-

uisse, ut remotum principium ceterorum auxiliorum ad quoslibet alios actus, quia omnia illa impertractat fides. Ac subinde non fuit eis necessarium, ponere novum initium ex solo libero arbitrio ad reliquos bonos actus, sed ex fide, non quacumque, sed iam perfecte concepta ex adiutorio gratiae. Et hoc ipsum satis etiam illis erat, ut totius praedestinationis causam, quoad omnes effectus, & auxilia gratiae in homine ponerent, quia saltem remote illud initium fidei esset causa omnium subsequantium effectuum.

Secundo modo conciliari illa possunt, & (vtpinor) magis ad mentem eorum, per distinctionem datam duplicis initij intrinseci, vel extrinseci. Nam de intrinseci initio intelligendum videtur, quod Augustinus & Hilarius referunt, eos dixisse, liberum arbitrium sine gratia non valere ad inchoanda pietatis opera: nam fatebantur (ut idem Augustinus ait) *praeveneri gratia Dei voluntatem nostram, ad haec opera*; quae gratia praeveniens est in illo ordine, quasi primum principium operum pietatis. Ante hoc vero ponebant aliud principium extrinsecum, seu causale, quod extra gratiam, & ante gratiam sit, & causa sit totius gratiae subsequenter: & hoc videntur posuisse etiam pro auxilio praeviente ad spem, & charitatem, & penitentiam, & sic per singula opera. Tum quia est eadem ratio & proportio in his, & in fide, & voluntate credendi, ut supra argumentabar. Tum etiam quia verba eorum hoc sonant, ut patet ex supra citatis ex Cassiano, & ex alijs relatis ab Hilario. Cum enim dixisset, Malsilenses consentisse, requiri gratiam, non solum ad perficiendum, sed etiam ad inchoandum haec opera, subdit. *Neque enim alicui operi curationis annumerandum putant, exserit a supplicij voluntate, vnumquemque agrorum velle sanari.* Et infra. *Nec negari gratiam putant, si praecedere dicatur tali voluntati, quae talis medicum querat, non autem quicquam ipsam valeat.* Ponebant ergo initium totius salutis in hoc, quod est velle sanari, sub quo includitur, non solum, velle credere, sed etiam velle panisere & sub hoc velle, includebant quemque affectum, vel desiderium imperfectum, & petitionem, vel quemcumque alium conatum, aut diligentiam moralem, ad quodlibet auxilium gratiae obtinendum. Unde tandem effectum est, ut talem causam praedestinationis ponerent, non solum quoad collectionem effectuum ratione primi, sed etiam quoad singulos, quatenus in singulis antecedere poterat illud velle, seu conari, non solum ex fide supernaturali, sed etiam ex naturali, & ex humano conatu, quem ad hanc causalitatem sufficere arbitrantur.

Ex declaratione igitur huius initij efficaciter refutatur haec sententia, generalibus testimonijs supra adductis, potestque in hunc modum concludi ratio cinatio. Liberum arbitrium per se, & si minus gratia Dei nihil potest efficere, quod ad vitam aeternam veramque iustitiam per se conferat, vel vitale sit: at initium salutis siue intrinsecum & formale, siue extrinsecum & causale, multum per se confert, & aliquid est magni momenti in illo ordine, ergo fieri non potest sine gratia, ergo e converso quidquid fieri potest sine gratia, non potest habere vim, & causalitatem talis initij. Maiorem propositionem probant satis illa testimonia, *Sine me nihil potestis facere. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, & cetera.* & similia. Quamquam enim haec testimonia exponantur de operibus pietatis, nemo tamen negare potest, quin opus, quod tantum bonum animae asserre potest, quantum est praedestinatio, quoad omnes effectus eius, ad pietatem valde pertineat, & ad vitam aeternam per se conferat, atque vitale sit. Et inde facile probatur Minor, quia principium intrinsecum supernaturale est, &c.

Handwritten notes in the right margin, including the name 'J. V.' and other illegible scribbles.

est, & eiusdem ordinis, vt supra probatum est, & videntur ipsimet Pelagiani agnouisse. Initium autem aliud, quod extrinsecum vocatur, si tale est, vt secum afferat omnes prædestinationis effectus, magni profecto momenti est, multumque confert ad salutem. Quare de illo, qui tale opus facit, dicere non possumus nihil facere, quod ad salutem conferat. At de omni illo tempore, quod in hoc genere est aliquid, dicit Christus, *Sine me nihil potestis facere*: & Paulus, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*. Ergo etiam tale initium fieri non potest sine gratia Dei.

23. Atque hoc est, quod Trident. Synodus sess. 6. cap. 5. contra hunc errorem docet, ac declarat ipsius, scilicet, iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione. Quibus verbis docet, extra hoc exordium non esse cogitandum aliud initium iustificationis, quia vel illud posset fieri sine gratia, & hoc non iuxta Christi, & Pauli sententiam, vel si ad illud est necessaria gratia, non potest esse ante vocationem, quia ante præuenientem gratiam (vtique primam, agitur enim de exordio eius) nulla est gratia. Eodemque sensu definit Concilium Arausicanum capite tertio, si quis ad inuocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicenti Esaiæ, & Apostolo dicens, *Inuentus sum à non quaerentibus me*. Ex quo Canone intelligimus, quod licet inuocatio, petitio, vel desiderium, vocetur principium extrinsecum auxilij, aut operis, pro quo Deum inuocamus, & cetera, nihilominus tale principium, vt sit verum initium alicuius gratiæ, non posse id habere, nisi ipsum etiam sit à priori gratia. Et eodem sensu definit Canon. quarto, Deum non expectare voluntatem nostram, vt à peccato purgari velimus, quia si hoc velle tale est, vt prouocet Deum ad dandam purgationem delictorum, vel proximam dispositionem ad illam necesse est vt ipsum etiam à gratia procedat, quia sine gratia nihil possumus in illo ordine. Et fere eodem modo procedunt alij Canones illius Concilij, contra hunc errorem specialiter congregati. Hoc ergo est primum, & solidum fundamentum contra hanc sententiam.

24. Venio ad aliam partem supra positam de genere causæ, vel meriti, quod Semipelagiani tribuebant huic initio, quod à libero arbitrio solo esse dicebant. Nam ex hac parte sumit Augustinus aliud principale fundamentum, quo falsum vtitur contra hunc errorem, quia destruit rationem gratiæ, dum asserit ex nostris meritis dari: nam teste Paulo, ad Romanos vndecimo cap. *Si ex operibus, iam non est gratia*. Efficacia autem huius fundamenti pendet ex dicto puncto. Quia in primis nullum genus causalitatis moralis, quod in nostris operibus cogitari possit, excludit rationem gratiæ, nisi meritum, vt patebit facile per cætera discurrendo. Nam triplex tantum modus causalitatis moralis hic intercedere potest, dispositionis, impetrationis, vel meriti, quam enim intra latitudinem horum modorum possit inueniri varietas, omnis tamen illa ad illa tria capita reuocatur, neque hætenus aliud excogitatum est. Ex illis autem, dispositio, si nihil aliud addatur, non tollit rationem gratiæ, nam peccatori infunditur gratia iuxta illius dispositionem, vt Concilium Tridentinum dicit Sessio sexta, capite primo: & tamen gratis infunditur, secundum sanam & catholicam doctrinam, atque ita non obstante dispositione retinet gratia veram rationem gratiæ. Quod si hoc verum est etiam de dispositione vltima, quæ in peccatore præcedere potest, multo erit verius de dispositione remota, vel minus proportionata, aut quæ in eo genere minorem causalitatem habeat, nempe dando occasionem, vel quid simile. Similiter impetratio non tollit rationem gratiæ, vt per se notum est, quia petitio non inducit ra-

tionem debiti eiusque efficacia per se spectata non nititur in iustitia petentis, sed in liberalitate eius, à quo petitur. Vnde quando peccator gratiam à Deo petit, veram gratiam petit, nec petendo aliquid donum, destruit in eo rationem gratiæ, si ob petitione detur.

Tota ergo vis illius fundamenti reuoluitur ad causalitatem per modum meriti. Hoc autem meritum duplex distinguitur à Theologis: vnum de condigno aliud de congruo. De priori omnes fatentur inducere rationem iustitiæ, & ideo quantum ex se excludere rationem gratiæ. Dico, quantum est ex se, quia id, quod propter tale meritum datur, formaliter, & vt sic, non habet rationem gratiæ: si autem illud meritum fundatum sit in priori gratia, sine qua fieri non posset, ipsum meritum potest dici gratia, & secundum hanc considerationem, etiam præmium eius retinet rationem gratiæ. Quomodo etiam vita æterna appellata est ab Apostolo gratia, ad Romanos sexto cap. & à Concilio Tridentino Sessio sexta, capite decimo sexto. Quia licet sit ex merito, tamen meritum ipsum est ex gratia. At si meritum esset de condigno, & non supponeret priorem gratiam, sed ex puris viribus liberi arbitrij haberetur, plane quid tali merito redderetur, nullam haberet rationem gratiæ, sed tantum mercedis. Meritum autem de congruo non videtur excludere rationem gratiæ, quia non inducit rationem iustitiæ, sed congruentiæ, vel decentiæ, & in hoc est punctum difficultatis.

Propter hanc ergo causam, aliquibus videtur necessario dicendum. Semipelagiani posuisse in illo suo initio fidei, vel salutis meritum de condigno. Quia non putant aliter posse habere efficaciam rationem, qua Augustinus, & alij Patres infra citandi, contra eos vtruntur, quod destruerent rationem gratiæ. Vnde Augustinus sæpe, in hoc pares facit Semipelagianos & deteriores Pelagianos. Inferit enim contra illos, quod ex eorum sententia sequatur, gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod Pelagus retractare coactus est, & ne ipse damnaretur subdole retractauit, vel damnauit. Et eodem modo acerrime impugnat Faustus Iouannes Merentius in responsione ad Hormisdam, in tom. 4. Bibliothecæ. At Pelagus ponebat meritum de condigno in operibus liberi arbitrij respectu gratiæ, vt constat. Et sine dubio in hoc sensu videtur damnata illa propositio in Concilio Palæstino: illum enim sensum, ipsum nomen meriti simpliciter dicti præ se fert. Denique hoc etiam sensu necessario videtur intelligendum, quod Paulus ad Romanos vndecimo cap. inferit. *Si autem gratiam, iam non ex operibus*. Vt enim consequentia bona sit, oportet intelligi de merito de condigno. Atque ita exposuit ibi Cardinalis Tolerus, vbi eodem modo intellexit Semipelagianorum sententiam, eiusque damnationem. Nec putat pertinere ad illum errorem, quod in bonis operibus liberi arbitrij, aliquod meritum de congruo diuine gratiæ, etiam quoad primum eius auxilium, ponatur. In qua sententia est etiam Vega libro octauo, in Trid. capite quinto, & videtur fuisse plurimum Scholasticorum, vt capitibus sequentibus videbimus: qui post Concilium Arausicanum, & post totam disputationem Augustini, Prosperi, & aliorum contra Semipelagianos, scripserunt. Non est enim verisimile, aut ignorasse definitionem tantorum Patrum, aut contra illam opinatos fuisse, ergo intellexerunt eam solam tendere ad excludendum meritum de condigno ab operibus moralibus liberi arbitrij, quod Semipelagiani eis tribuebant.

At profecto difficile est hunc sensum attribuere Semipelagianis, solum vt argumentatio Augustini contra illos efficax sit. Primo, quia nullibi Aug. ipse, vel Prosper hunc sensum in eis explicarunt, sed vel absolute loquuti sunt, vel si quidpiam addunt, potest ad

25. Meritum de condigno re pugnat gratia.

26. De quo merito Semipelagiani loquuntur.

24. Quod meritum gratia illam destruat.

est ad extendendum loquutionem ad omne meritū. Tale est illud Augustini de Prædestinatione Sancto-
rum, cap. 20. *Videte si quid agitur isto modo, nisi vi gratia
secundum merita nostra desit, quolibet modo, ac si gratia
non sit gratia. Vbi pondero particulam illam, quolibet
modo, nam ampliat meritum ad quemcumque mo-
dum meriti. Secundo, quia Cassianus videtur expres-
se excludere meritum de condigno Collat. 13. cap. 9.
& libro 12. de Institut. renunc. cap. 11. & cap. 14. Inter
alia sic inquit. *Dicimus enim secundum Saluatoris senten-
tiam, dari quidem peccentibus, & aperiui pulsantibus, & à
quærentibus inueniri, sed peccentibus & pulsationem, & in-
quisitionem nostram non esse condignam, nisi misericordia
Dei id quod petimus, dederit, &c.* Vbi satis expresse ex-
cludit condignitatem ex parte nostri iustitij, imo statim
solum quandam occasionem videtur illi tribue-
re, dicens. *Præsto est, occasione tantummodo à nobis bona
voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda.* Vnde Hilar-
ius in dicta epistol. refert, solitos fuisse Gallos, sic pro-
se respondere, *Nec negari gratiam, si præcedere dicatur sa-
luta voluntas, que tantum medicum quærat, non autem quic-
quam ipsa iam valeat.* Tertio, quia nulla est sufficiens
ratio præsumendi, Malsilientes potuisse in hoc initio
meritum de condigno. Nam principalis error Pela-
gij in hoc positus fuit, ipsi autem à Pelagio dissentie-
bant in reliquis omnibus, solum, vt Deum ab ac-
ceptione personarum liberarent, & salutem constitue-
rent in potestate cuiuscumque hominis adulti, hanc
qualemcumque differentiam ex parte hominum
quæsierunt, ad quam profecto non est necessarium
meritum de condigno, sed quodcumque aliud suffi-
cit.*

28. *Meritum est
iam iustitij
solum est
vni gratiam
si non sit ex
gratia.*

Quocirca vel hanc posteriorem partem, vt verio-
rem supponendo, vel certe ab illa controuersia ab-
strahendo, dicendum est, efficax esse fundamentum
Augustini contra illos, quod nimirum rationem gra-
tiæ destruerent, posito merito primæ gratiæ ex solis
viribus liberi arbitrij, qualemcumque illud posterint,
siue de condigno, siue de congruo. Quod in primis
probatur autoritate eiusdem Augustini, & aliorum
Patrum, qui eum sequuti sunt. Nam quod hic sit sen-
sus Augustini, constat, quia ita negat meritum primæ
gratiæ auxiliantis, si quis admittit mereri peccatorem
per fidem auxilia ad poenitentiam agendum, vel cha-
ritatem obrinendam, & de hoc eodem merito dicit,
per illud destrui rationem gratiæ in dono, quod rati-
one illius datur, si fides sit ex natura, & non ex gratia.
At certissimum est, illud meritum solum esse de con-
gruo, etiam in actu fidei infusa, vel quocumque alio,
quem facit homo existens in statu peccati mortalis,
ex auxilio supernaturali Dei, ergo idem sentit de o-
peribus naturæ, si hæc eis quodlibet meritum gratiæ,
etiam de congruo tantum, ponatur. Id autem con-
stat præcipue ex dicto libro de Prædestinatione San-
ctorum, & de Bono perseuer. & ex epistolis 105. & 106
& 11. Retract. capite nono, & ante exortos Semipela-
gianos eodem modo illam sententiam impugnaue-
rat, libro primo ad Simplician. quæstione secunda, &
libro 2. de Peccat. mer. & remiss. cap. 17. libr. 4. contra
Iulian. capite 3. & libro 2. contra duas epistolas Pe-
lag. cap. 17.

29. Secundo, in hac sententia, & fundamento imitati
sunt Augustinum fere omnes posteriores Patres, Pro-
fper contra Collatorem, id est Cassianum, præcipue
contra eius collationem 13. capite 11. & 12. & ad obie-
ctiones Gallorum, præsertim ad 4. Fulgent. libro primo
ad Moni. & expressius libro de Incarnation. &
gratia capite 18. Et Petr. Diacon. libro de Incarnat. &
gratia capite 8. Ifidorus libro de Summo bono capite
3. Anselm. libro de Concor. præscientiæ, & prædestin.
& super Paulum locis infra referendis. Optime Gre-
gor. libro 33. Moral. capite 20. alias 25. circa illa verba
Iob capite 45. *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei? Vbi
Malsilientium sententiam tacito nomine impugnat.*
Magis tamen vt videtur primo argumento supra

posito, & testimonijs Scripturæ Sacræ, quæ illud con-
firmant, veruntamen etiam hoc posterius indicat,
dicens. *Si quid nos bone operationis dedimus, vt eius gra-
tiam mereamur, vbi est quod Apostolus dicit, gratia saluari
estis, &c.* Atque ad idem applicari potest quod libro
17. Moral. capite 10. alias 11. dixerat, explicando illa ver-
ba Iob, *Cuius adiutores, & coniungendo illa cum ver-
bis Pauli 1. Corinth. 3. Coadiutores Dei sumus.* Nam hoc
posterius, seruato debito ordine, verum est, illud ve-
ro prius dicitur propter eos, qui plus iusto sibi arro-
gant. Vnde ait Gregorius, *Qui de sensu suo alta sapiens
esse humiliter adiutores Dei nolunt, quia dum se vtilis Deo
esse estimant, à fructu se vtilitatis alienant.* Videri etiam
potest libro 24. c. 6. ad finem, alias cap. 12. & Hom. 9.
in Ezechiel & lib. 1. Dialog. c. 4. Denique Bern. egre-
gie vim huius rationis indicauit, serm. 67. in Cantica
dicens. *Non est quod gratia in re, vbi iam meritum occu-
pauit. Nam si quid de proprio inest, quantum est, gratiam
illi cedere non esse, deest gratia quidquid meritu deputatur.*
Ac si diceret, meritum ex se gratiam excludit, confide-
ratis proprijs rationibus vtiusque secundum se, ta-
men quia multiplex potest esse meritum, quantum
illud est, tantum minuit de ratione gratiæ. Rursus
ser. 74. post gratiæ commendationem, subdit. *Quod si
quis dicat, Gratia Dei sum id, quod sum, studeat autem ca-
prare gloriam, pro gratia, quam accepit, nonne sur est, &
latro: Vbi alludere videtur ad 1. Cor. 3. Quid gloriaris
quasi non accepisti? Per illud autem diminutium, glo-
riam, indicat, etiam quis non sibi tribuat iustitiæ
meritum, sed qualemcumque, etiam in eo furem esse, &
latronem, dum gratiam, tanquam gratiam non re-
cognoscit.*

30. Tertio Concilium Arausi. ca. 6. Non solum contra
sententiam Semipelagianorum definit, sed fæuet etiam
iam fundamento sumpto ex repugnantia meriti, &
gratiæ, siue meritum de condigno, siue de congruo
vocetur, si natura viribus tribuatur. Quia nihil di-
stinxit concilium, & non est verisimile reliquisse hoc
subterfugium Semipelagianis. Sic ergo ait in dicto c.
6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desideran-
tibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus,
peccentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam
dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus,
& hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem,
& Spiritus sancti in se, rationem in nobis fieri consisteret, aut
humilitati, aut obedientie humane subtrahit gratia adiu-
torium, nec vt obediens humilissimus, ipsas gratias donum esse
consentit, resistit Apostolo dicenti, Quid habes, quod non ac-
cepisti, 1. Corinth. 4. & gratia Dei sum id quod sum. 1. Cor-
inth. 5. Ex quibus dictibus testimonijs primum
magis pertinet ad primum punctum, tamen etiam
confirmat fundamentum positum contra Malsilien-
ses, quatenus Paulus addit. *Si autem accepisti, quid
gloriaris, quasi non accepisti. Nam, sensus est, quid gloria-
ris, quasi non gratia accepisti, vt etiam Concilium indi-
cat. Alioquin Semipelagiani non contradicebant
Paulo, fatebantur enim se accipere omnia dona gra-
tiæ à Deo, & ita nihil subtrahabant donationi
Dei, seu acceptioni à Deo: tamen quia dicebant
se accipere ex nescio quo merito suo, quod non
per gratiam, sed per naturam habebant, consequen-
ter gloriabantur de illis donis, tanquam de non ac-
ceptis, vtique gratis, & consequenter tollebant
veram gratiam. Aliud vero testimonium est eui-
dentius, nam etiam Semipelagiani contendunt, ho-
minem per gratiam esse id, quod est, id est, iustum,
& sanctum: & nihilominus dicit Concilium, con-
tradidere Paulo, dum sibi tribuunt meritum eius
gratiæ: ergo sentit, ex eo contradicere, quod meri-
tum ponunt, contradictionem inuoluens cum gra-
tia.**

31. Et hoc ipsum confirmat idem Concilium in ca-
pitulis sequentibus, præsertim capite 17. dum ait.
*Fortitudinem Christianam Charitas facit, quæ diffusa est
in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per
Spiritus*

Handwritten notes in red ink on the right margin, including the words "Arausi", "Concilium", and "Arausi".

Spiritus sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus. Et cap. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia que non debetur, præcedit vi fiant. Sic etiam Concil. Tridentinum Sessio 6. capite 5. docet, exordium iustificationis à gratia præueniente sumi, id est, à vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Vbi facile insinuat, vt nullis existentibus meritis gratia, necessarium esse, vt nullis existentibus meritis detur: dum autem ait, nullis, omnia merita siue de condigno, siue de congruo excludit. Ad quod etiam adduci solet caput octauum eiusdem Sessionis, in quo Concilium exponit Paulum dicentem, hominem gratis iustificari, Quia nihil (inquit) eorum que iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Vbi necessarium videtur, vt intelligat excludi omne meritum, etiam de congruo, per illam particulam, gratis, tum quia hic est sensus verus Pauli, vt mox videbimus, tum etiam quia distincte & absolute negat omne meritum. Sed hic locus habet specialem difficultatem, quam in fine capituli tractabimus, ne à proposito diuertamur.

32. Quarto, ex his Patribus, & Concilijs sumitur præcipuum fundamentum huius veritatis, & probationis eius, quod ex Scriptura sumendum est. De hac enim voce, *gratia*, loqui possumus, vel absolute, & secundum totam latitudinem eius: vel prout de illa scriptura loquitur, & prædicat gratiam Dei in hominibus saluandis. Priori modo negare non possumus, quia in aliqua propria, & rigorosa significatione dicatur gratia, donum, quod sine debito iustitiæ datur, etiam si deturroganti, & petenti, vel etiam bene merenti, secundum aliquam congruentiam. Quod patet ex frequenti vsu illius vocis, & ex communi sensu hominum: Omnes enim intelligunt sibi gratiam fieri, quoties id donatur, quod ex iustitia nõ debetur: multoque magis si à superiori donetur inferiori, quia superior magis videtur illo debito immunis. Et ratio est, quia gratia dicitur à gratis dando, vt sentit Paulus ad Romanos quarto, & vndecimo capit. gratis vero dari dicitur, quidquid non datur ex debito simpliciter, debitum autem simpliciter est maxime debitum iustitiæ, ergo quidquid sine tali debito datur, gratis dari non immerito dici potest, & consequenter esse etiam gratiam. Atque hoc modo omne donum nobis collatum à Deo gratis, id est, sine talis iustitiæ merito, potest gratia appellari, vt significauit Diuus Thomas 1. 2. quæstione centesima decima, articulo primo, Scholastici communiter in 2. distinctione quarta. Atque ita etiam creatio, vel alia dona naturalia possunt gratia vocari, quia significatione abusus est Pelagius in Concilio Palestino, vt Patres illius concilij deciperet, vt testis est Augustinus epistola 105. & libro de gratia Christi, & sæpe alias.

33. Nihilominus in Scriptura magis propriam & restrictam habet significationem hoc nomen *gratia*. Vnde Augustinus cum alijs quatuor Episcopis in Epistola ad Innocentium (quæ habetur ante 27. Epistolam Innocentij,) & est 95. inter Epistolas Augustini, aiunt, quod licet donum creationis non improbanda ratione possit gratia vocari, mirum est tamen si ita appellatam in nullis legitimis, prophetis, Euangelicis Apostolicisve literis legimus. Sed illam quam Scriptura simpliciter gratiam vocat, quæ prædestinari vocatur, iustificatur, & glorificatur. Et idem sentit Hieronymus dialogo primo, contra Pelagian. & epistola centesima quinquagesima nona, ad Cyprian. Et congruentia reddi potest, quia expensa proprietate gratiæ, quatenus dicit, non solum amorem, & benevolentiam extrinsecam, (De hac enim significatione nunc non agimus) sed donum gratis datum nobis à Deo, sic propriissime conuenit, in primis in hæc supernaturalia dona, & non in naturalia, & ideo solet ab Augustino, & Scholasticis gratia à natura distingui. Vnde creatio non proprie vocatur

gratia. Quia licet res omnino gratis create fuerint à Deo, & ita ipsum esse possit dici donum à Deo gratis collatum, tamen quia creatio non supponit personam cui fiat donatio, ideo non tam gratia, quàm aliquid ante gratiam censetur. Quo etiam modo significat Diuus Thomas 1. parte quæstione vndecima articulo quarto ad 4. non reperiri in opere creationis propriam misericordiam, sed solum quodam modo, sed secundum quandam proportionem, quia cum non supponat rem aliquam, nec miseriam proprie supponit. Sic ergo propria gratia supponit capacitatem aliquam, atque adeo rem ipsam, cui fieri possit. Ideoque cum gratia dicitur dari gratis, illud *gratis*, non puram negationem significat, sed quasi priuationem (vt sic dicam) quia supponit in eo, cui fit gratia, capacitatem aliquam iuris, seu iuris, cui fit gratia, capacitatem debiti respectu subiecti capitis, quæ capacitas supponit existentiam, & consequenter creationem. Præterea propria gratia supponit rationalem naturam, & ideo gratia non dicitur proprie fieri brutis, sed rationalibus creaturis. Creatio ergo, quæ rationalem creaturam non supponit, sed facit, non dicitur proprie gratia. Atque hinc etiam est, vt supposita creatione, quidquid naturæ ipsi consequuntur quadam naturali debitum est, proprie gratia non dicatur, vt conseruatio, concursus ad naturalia opera, & similia: quia qui dat formam, dat consequentia ad formam, vnde illa non censetur noua liberalitas distincta à creatione, ideoque sicut creatio, vt sic, non comprehenditur sub gratia, ita nec illa omnia, quæ ad illam consequuntur.

34. Ex quo vterius intelligimus, gratiam Dei Theologicè, vel dogmaticè sic vocatam, non solum excludere debitum iustitiæ, sed etiam debitum illud connaturalitatis, quod deberi dicitur naturæ ea, quæ illi connaturalia sunt, vel quæ naturaliter postulat, quasi iure suo. Nam etiam id, quod est sic debitum, non omnino gratis donatur, in se ac formaliter spectatum. Imo loquendo moraliter naturalia bona, non tam per se donari, quam condonari cum alio videntur: vnde, si illud aliud non est gratia, neque cætera gratiæ censetur. Ex quo vterius intelligere possumus, si quid est debitum naturæ, ex vi operum, quæ suis proprijs, & solis naturalibus viribus efficit, non esse veram gratiam, prout de gratia Scriptura loquitur, siue illud debitum vocetur iustitiæ, siue, congruitatis moralis, siue solius connaturalis, quia totum hoc non transcendit rationem doni naturæ debiti. Declaratur in actionibus physicis, quando enim homo generat hominem, licet non possit generationem perficere, nisi Deo creante animam filij, tamen quia illa creatio debita est connaturaliter, disponente homine materiam corporis humani, eo modo, quo per naturalem actionem potest, ideo illa non censetur specialis liberalitas DEI, vel gratiæ. Similiter in moralibus, faciente homine per naturæ vires actus virtutis, vel scientiæ, sequitur habitus, non sine noua, & libera actione Dei, & tamen habitus non potest gratia vocari, quia eius effectio, vt est à Deo, naturali hominis actioni debita est. Ipsa etiam beatitudo naturalis debita esset homini per naturam bene operanti, non debito iustitiæ (vt suppono, quia iustitia cum Deo non est naturalis homini) sed ex prouidentia quadam generali, debita ab authore naturæ, non solum vt creatore, sed etiam vt morali gubernatore & hoc fatiss est, vt illa non sit gratia, quia non tantum est noua liberalitas, quam naturaliter consequens ad aliam priorem, quæ vera gratia non fuit, vt declarauimus. Sic igitur hoc titulo repugnat, veram gratiam, de qua Scriptura loquitur, esse debitum ex vi operum solis viribus naturæ factorum, siue sit sermo de debito iustitiæ, siue de alio minori, quia illud

illud qualecumque sit, sufficit, vt sit connexio quædam, & naturalis consequutio inter tale donum, & primam conditionem naturæ; interuentibus alijs concursibus naturaliter debitis. Hoc ergo modo sufficienter deducitur, repugnare gratiæ, quod sit ex operibus solius liberi arbitrij, quia vel donum, quod datur, habet naturalem connexionem cum illis operibus, vel non: si non habet, ergo nullo modo propter illa datur, si habet, iam non est gratia, sed natura donum. Et hoc fortasse sensu dictum est à Paulo, ad Romanos tertio & quarto, & ad Galat. secundo & tertio: non iustificari homines ex operibus, vtique naturæ viribus elicitis, quamuis illa loquutio alias habet expositiones, vt mox dicemus.

abijt, secundum illud ad Hebr. 12. Contemplantes ne quis desit gratia Dei.

Tertia conditio est, quæ maxime ad propositum nostrum refert, eamque in hac donatione gratiæ seruari, in primis colligi potest ex perfecta ratione donationis, quam in illa reperiri necesse est, cum Scriptura sacra vbique significet, in illa maxime ostendere Deum summam liberalitatem, ac liberam voluntatem in donis suis distributendis. Quo sensu ait Paulus ad Ephel. primo. *Prædestinasse nos Deum in adoptionem filiorum per Iesum Christum; secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Significat enim his verbis, voluisse Deum hanc esse maximam gloriam, & commendationem gloriæ suæ, quod secundum propositum voluntatis suæ, ad ostendendum munificentiam suam, & liberalitatem, ac libertatem in donando, eam tribuat, & non ex causa aliqua ex parte recipientium illam. Et ideo alijs locis cauet, ne homines in hac parte aliquam gloriolam (vt Bernard. dicebat) sibi vsurpent, sed totum Deo tribuant. Et hoc est, quod statim capite secundo, eiusdem Epistol. subiungit. *Confedere nos fecit in celestibus in Christo Iesu: vt ostenderet in saculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu.* Ostendens autem quam liberalis sit hæc gratia, subdit: *Gratiæ enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. De enim donum est, & non ex operibus, vt ne quis gloriatur.* Vbi primum expendenda est illa particula. *Et hoc non ex vobis.* excludit. n. omnem causam ex parte recipientium, & in hoc constituit perfectionem huius gratiæ. Et in hoc sensu ait esse donum Dei, quasi per antonomasiam, ac denique non ex operibus, quæ negatio vniuersalior est, quam esset dicere, non ex meritis de condigno. Fuit autem illa tota amplitudo necessaria, vt locum haberet, quod subdit. *Vt ne quis gloriatur.* Quacumque enim ratione, gratia esset ex operibus solius naturæ, non excluderet omnem id, vnde posset homo gloriari.

37

35. Accedit vterius, quod peculiari modo repugnat rationi gratiæ, vt in remunerationem operis fiat, etiam si talis remuneratio non sit ex iustitia debita, sed ex quouis titulo obsequij, seu gratitudinis. Quod explicari potest ex his, quæ de pura donatione traduntur leges ciuiles. Nam in lege 1. ff. de Donat. tria requiruntur ad propriam donationem. Vnum est, vt res donata statim fiat accipientis, alias potius erit promissio. Aliud est, vt res donata amplius non reuocetur ad donantem, quia si est reuocabilis, non erit donatio simpliciter, sed secundum quid, vel conditionata. Tertium est, vt donator propter nullam aliam causam moueatur ad donandum, nisi vt exerceat munificentiam, & liberalitatem; id est, vt non det propter aliquam remunerationem, etiam antidoralem; seu gratificatiuam, vt ibi Bartolus exponit, & Panormitanus in Rubric. de donatione. Et sumitur ex lege *Aquilus*: alias *Atilius*, ff. de donatione. & ex capite *Per duas*, extra, eodem titulo. Gratia autem est donatio singularis, & perfecta beneficiorum Dei, ad salutem pertinentium, vt docuit Augustinus de prædestinatione Sanctorum capite decimo. *Inter gratiam, & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio: gratia vero iam ipsa donatio.* Et ita Scriptura sacra de illa loquitur, tanquam de perfecta donatione. *Vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credastis, ad Philipp. primo.* Et obarias Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, & similia. Reperiuntur ergo in donis gratiæ tres illæ conditiones perfectissime, & exactissime.

Eandem vim habent illa verba, primæ Corinth. quarto. *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? quod si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod necesse est intelligi de acceptione per donationem perfectam, summeque liberalem, superantem in primis omnem naturæ debitum. Nemo enim vnquam gloriari potuit quod aliquid habeat non acceptum à Deo, saltem vt auctore naturæ, neque quod possit bonum morale efficere, sine Deo, saltem influente, vt auctore naturæ. Cum autem loquatur Paulus de bonis quibus fideles ab infideli, vel iustus ab iniustus discernitur, significat, debere talia recognosci, vt singulari dono accepta vltra omnem naturæ debitum. Ac proinde in eorum susceptione nullam gloriam sibi debere homines vsurpare, vsurparent autem non paruum, si suis viribus possent illa aliquo modo emereri: tantumque tollerent de gloria debita diuinæ liberalitati, ac perfectæ donationi, vt Bernardus aiebat, & tractat late Augustinus libr. de prædestinatione Sanctorum capitulo quarto & sequentibus. Denique ob hanc causam Paulus ad Romanos 9 totam radicem, & originem distributionis gratiæ reuocat in diuinam voluntatem, dicens. *Mossi enim dicit, miserebor, cui miserebor, & misericordiam prestabo, cui miserebor.* Vtique quoad radicem, & primam originem. Quo sensu concludit. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* In solam ergo Dei voluntatem, & misericordiam facit Paulus vltimam resolutiorem gratiæ, quia prima gratia est pura donatio, atque adeo ex sola liberalitate donantis facta, sine causa ex parte eius, cui donatur.

38

36. Prima est clara, quia gratia dicit donum, ita nobis exhibitum, vt eo ipso fiat eius, cui donatur, & adeo sit eius, vt sit in potestate, & dominio ipsius illud abijcere, vel retinere, propter quod aiebat Paulus 2. Corinthiorum sexto. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Secunda item conditio certissima est, quia Deus quantum est ex se, irreuocabiliter donat gratiam sanctificantem, & dona, quæ ad illam necessaria sunt. Quamuis enim gratias gratis datas donet interdum ad tempus, & auferat pro suo arbitrio, idemque faciat in aliquibus donis supererogationis, & extraordinarijs, tamen in donis, vel auxilijs gratiæ sanctificantis neminem, præsertim iustum deserit, nisi prius deferatur ab ipso, vt Concilium Tridentinum tradidit. Sic igitur irreuocabilis est donatio talis gratiæ, ac proinde perfecta donatio. Et fortasse conditionem hanc insinuauit Paulus ad Romanos 11. dicens. *Sine penitentia sunt donas, & vocatio Dei.* Quamuis enim specialiter videatur loqui Paulus de donis profectis ex electione, & prædestinatione, quam Deus semel conceptam mutare non potest, vt indicant verba proxime præcedentia. *Secundum electionem autem charissimi propter Patres.* Nihilominus de donis gratiæ iustificantis in vniuersum vera est illa sententia: non quia homo non possit perdere gratiam semel consequutam, sed quia (vt Diuus Thomas sibi ait) etiam temporale donum, & temporale vocatio non irritatur per mutationem Dei, quasi penitentis, sed per mutationem hominis, qui gratiam Dei Suarez. De Deo trinuno.

Ex his ergo principijs, & testimonijs satis manifestum est, meritum etiam de congruo excludere gratiam, prout de illa Scriptura loquitur, nam dicit ita gratis dari, vt omnem excludat respectum ad quod-

Meritum de congruo prima gratia esse contra rationem gratiæ.



ad quodlibet meritum recipietis, & oriatur solum ex libera munificentiâ donantis. Quod saltem necesse est verum esse ratione primæ gratiæ, seu vocationis, quæ est radix cæterarum gratiarum, vt egregiè notauit Augustinus libro 1. quæst. ad Simplicium. quæst. 2. vbi inter alia, habet illam sententiã. *Non ideo dictum esse putandum est, non volens, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi Dei adiutorio nõ possumus adipisci, quod volumus, sed ideo potius, quia nisi eius vocatione præuenti non bene volumus.* Et libro 83. quæstionum, quæstione sexagesimo octaua, vbi habet illa verba singularia, *Licet qui sibi tribuat, quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit.* Consonatq; huic verè intelligentiæ gratiæ, & illius dictionis *gratis*, illa sententiã Pauli, *Qui prior dedit illi, & tribuetur ei?* Nam si homo suis viribus aliquod obsequium offert Deo, propter quod meretur quocumque modo retributionem gratiæ, iam prius daret Deo, & retribueretur ei. Et seclusa scriptura, est per se hoc satis rationi consentaneum, quia omne meritum etiam de congruo requirit proportionem aliquam fundatam, vel in conditione, seu dignitate personæ operantis, vel saltem ipsius operis: quod si quis velit, addat etiam promissionem Dei. At nihil horum reperitur in actibus naturæ viribus elicitis, & ad supernaturalem gratiam comparatis: ergo. Probatür minor, quia persona supponitur originali peccato infecta, agimus enim de homine nondum iustificato, immo etiam homo in pura natura est per se satis improporcionatus ad tale meritum: cum de se non habeat ordinem ad supernaturalem finem. Opus item est omnino improporcionatum, quia in se est inferioris ordinis, & per nullum alium actum eleuatem, vel refertur ad superiorem ordinem, aut finem. Promissio denique nulla extat, vt magis ex sequentibus constabit: ergo nulla est ratio, aut conditio vel minimi meriti.

40. Atque in his tandem concluditur, nec meritum impetratorium admittendum esse in opere aliquo viribus naturæ elicito respectu effectuum prædestinationis. Probatür ex duobus fundamentis hæc tenus tractatis, quia meritum impetratorium aliquod bonum est vtile, & valde conferens ad vitam æternam: ergo impossibile est fieri sine gratia Christi per solas vires naturæ: Dicente ipsemet Christo. *Sine me nihil potestis facere.* Et in particulari probari hoc potest, quia meritum impetratorium, seu impetratio, (pro eodem enim nunc sumuntur) non est nisi mediante oratione: oratio autem non est impetratoria, nisi saltem fundetur in fide: ergo vt impetratoria sit, gratiam aliquam supponat necesse est: non ergo potest impetrari prima gratia per petitionem viribus naturæ factam. Quod eisdem verbis definiuit Arauic. Concil. Canon. 3. dicens. *Si quis dixerit ad inuocationem humanam gratiam dari, & non potius gratiam efficere, vt digni inuocemus, anathema sit.* Et sumitur etiam ex illo Pauli ad Romanos decimo. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt, vt expendit Augustinus quarto, contra Iulianum capite octauo. Item ex illo Ioannis decimo quinto. Si manseris in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis, fiet vobis.* Vbi recte Chrysostronus homilia 75. Facit etiam illud ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo: & illud Roman. 8. Quid oremus sicut oportet nescimus, sed spiritus postulat pro nobis.* Ex quibus concluditur ratio, quia oratio, vt sit impetratoria, in primis debet esse Deo accepta: & ideo ex parte obiecti, seu rei postulata esse debet conueniens: ex parte modi, debet esse cum fiducia, fundari etiam debet aliquo modo in Christo: at hæc omnia habere non potest, nisi sit ex fide, & gratia: ergo.

41. Secundo probatur ex altero fundamento, quia talis impetratio excluderet rationem gratiæ: quia iam DEVS non daret gratiam ex sua magnificentia, & liberalitate, sed intuitu inuocationis humanæ.

Dices, inter homines beneficium collatum petentis quia petit, non excludit, quin sit omnino gratuitum: Respondeo, primo negando assumptum, quia licet non tollat, quin sit gratuitum, vt excludit hæc vox debitum iustitiæ, vel gratitudinis: nihilominus diminuit rationem liberrimæ donationis, quia non fit ex sola voluntate, & quasi interna dispositione donantis, sed ex causâ aliqua ex parte petentis. Vnde etiam vulgo dici solet, inter homines carõ emi, quod petitur. Secundo respondeo negando paritatem rationis. Nam inter homines, qui petit (ordinarie loquendo) non censetur præstare obsequium ei, à quo petit, sed solum desiderium, vel necessitatem suam manifestare. Respectu vero Dei oratio est verus cultus, & obsequium, & sub eâ ratione habet oratio vim impetrandi, ideoque quod impetratur à Deo, participat rationem cuiusdam retributionis. Ac proinde necesse est, vt fundetur in gratia, quia nemo dare potest prius Deo, vt retribuatür ei. Denique ipsi etiam Pelagiani vocabant hoc meritum impetratorium, & licet, extenuarent illud dicentes esse minimum, tamen quantum est, tantum minuit de perfectione, & veritate gratiæ, vt Bernardus cum Augustino dixit, & ideo admittendum non est.

Tertiam probationem adiungere possumus, quia vel hoc meritum impetratorium habet infallibiliter effectum impetrandi à Deo, vel solum habet pro arbitrio Dei, & quando ei placet. Hoc posterius dicere nõ poterat Pelagiani, tum quia fundabant hoc meritum impetratorium in promissione illa. *Petite & accipietis*: tum etiam, quia repugnat fundamento eorum. Inciderent enim in eadem angustias, cur Deus exaudiat hunc ita orantem, & non illum. Si enim pro arbitrio suo dat, vel non dat effectum sic postulatam, ergo pro suo arbitrio potest vni dare, vel alteri non dare, etiam si æqualiter petant, ergo sequitur eadem acceptio personarum, quam ipsi contra Augustinum inferebant. Et tandem ratio, & causa discretionis non reuocatur in opus hominis, sed in voluntatem solam Dei, quod ipsi negabant. Si vero dicatur primum, multum valde tribuitur operibus naturæ, cur enim tenebitur Deus talem petitionem infallibiliter exaudire? Aut enim hoc est ex ipsa rei natura, & vi talis operis, & hoc vanum est, cum nulla sit proportio inter talem petitionem, & gratiam. Neching potest virtus, quæ faciat Deum infallibiliter dare, quod sic postulat. Vel id oritur ex promissione diuina, & oportet illam ostendere, nam promissiones Scripturæ loquuntur de petitione fundata in fide, & in Christo, vt ostensum est, & capite sequenti iterum ostendemus. Simile argumentum, & dilemma fieri potest, quia vel tale meritum impetratorium est conditio necessaria, sine qua Deus neminem ad ultimum supernaturaliter vocat, vel non. Primum repugnat apertis scripturis, *Inuentus sum à non querentibus me*, cum similibus. Vnde nec ipsi Mafsilienfes hoc dicebant, vt cap. seq. de causâ dispositiua dicemus, & probabimus, est enim de vtraque eadem ratio. Si autem dicatur secundum, iam non potest ex tali causâ reddi ratio prædestinationis, vel discriminis inter electos, & non electos, vt de causâ dispositiua latius dicemus, est enim vt dixi, eadem vtriusque ratio.

Ex his ergo satis (vt opinor) repugnata relinquuntur Mafsilienfum sententiã. Fundamentum etiam eorum euersum est, quia in his mere gratuitis, non An. Simplicius habet locum personarum acceptio, etiam si absque vlla causâ ex parte recipientium inæqualis distributio fiat. Adhuc vero inquirere potest aliquis, in quo gradu damnationis sit hæc Sempipelagianorum sententiã, quoad illam partem de merito impetratorio, seu de congruo, aut minimo, prout ipsi loquebantur. Nam de merito de condigno certum est, assertio-

assertionem illam esse hæreticam, vt omnes Scholastici sine controuersia eam damnant, magis enim ad Pelagij errores, quam ad eius reliquias pertinet. Estque euidenter contra testimonia scripturæ, supra adducta, & in multis Concilijs damnata est. Primum in Palæstino, vt refert August. epist. 106. Deinde in Mileuitano tempore Innoc. Primi, cuius decreta, quoad hanc partem fere transcripsit Concilium Africanum toto orbe receptum, vt ait Prosper ad obiectiones Gallorum cap. 9. Eademque veritas in concilio Araul. & postea in Trident. confirmata est.

44. At vero quoad alteram partem de merito de congruo, videtur difficile illam sententiam, vt hæreticam damnare. Primo, quia illam plane sequuti fuerunt multi scholastici, quos capite sequenti referemus. Secundo, quia nec ex scriptura sacra aperte colligitur, nec in Concilijs sub illa speciali intelligentia, vel declaratione aperte traditur, nec per euidentem consequentiam colligitur. Tertio, quia per hoc non fit manifesta iniuria gratiæ Dei, quia bonum opus morale etiam est beneficium Dei, esto non pertineat ad beneficia gratiæ, & quando fit ab homine, qui plus facere non potest, habet illam generalem congruentiam, quæ in omni prudenti gubernatione locum habet, quod qui bene vitit beneficijs receptis, prout potest, quantum in ipso est meretur iuari, vt plus possit, quæ congruentia non tollit, quin hoc posterius beneficium sit vera gratia. Adde denique, magna consideratione dignum esse quod Concilium Trident. hoc clare non attingit. Vnde non videtur iudicasse hoc pertinere ad dogmata fidei, cum ibi omnia tradat necessaria, ad doctrinam de gratia, & libero arbitrio, contra Pelagianos, & Lutheranos, tuendam. De concilio item Arauficano non constat in illo sensu fuisse loquutum, & aliqui dubitant, an eius definitiones faciant certam fidem, cum prouinciale sit.

45. Concilij Arauficani ambiguntur.
Vt autem ab hoc vltimo respondere incipiant, omnino asserendum cenfeo, assertionem illam Semipelagianorum in sensu ab eis intento pertinere ad dogmata damnata. Nam sine dubio hæc fuit mens Concilij Arauficani, quod specialiter contra reliquias Pelagianorum, post damnatum Pelagium exortas, coactum est. Quod autem illæ etiam reliquæ à vera fide deuiarent, satis in primo capite eundem Concilij significatur illis verbis. *Pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minus caute, & non secundum fidei catholicæ regulas sentire videntur.* Et ideo contra illam sententiam canones, tanquam fidei regulas, ac definitiones tradit. De auctoritate vero illius Concilij dubitare non licet. Primo, quia communi consensu Ecclesiæ receptum est, neque vllus doctor catholicus ausus est illi contradicere, sed si qui ab illius doctrina dissentire videntur, vel illud ignorarunt, cum nullam eius mentionem faciant, vel in alio sensu illud intellexerunt, vt mox videbimus. Secundo, quia in i. capit. eiusdem Concilij, sic dicitur. *Vnde & nobis secundum auctoritatem, & admonitionem Apostolicæ Sedis, iustum & rationale visum est, vt pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus, de certis scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collecta sunt, ad docendum eos, qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus.* Ex quibus verbis constat, non oportere nouam confirmationem accessisse illi Concilio, postquam veritatem definiuit, quia antecedenter (vt sic dicam) illam habuit, per instructionem particularem Apostolicæ Sedis. Vnde in fine eiusdem Concilij dicunt Patres, se subscribere definitioni antiquorum Patrum, & suæ. A quo autem Pontifice illa capitula missa fuerint, & an sint illa eadem ad litteram, quæ in illo Concilio continentur, nobis non constat. Certum autem videtur, fuisse missa vel à Leone, sub Suarez: De Deo trinuno.

quo illud Concilium celebratum est: vel à Cælestino, cuius tempore Semipelagiani exorti sunt, vt ex Epistola 1. Cælestini ad Episcopos Galliæ intelligere licet. Illam enim Epistolam mortuo iam Augustino in defensionem eius scripsit Cælestinus contra Massilienses: Vnde etiam doctrinam eius, saltem quatenus Massiliensibus contrariam satis approbat. Præterea in capit. 8. 9. & 11. eiusdem Epistolæ, satis eadem sententia Semipelagiana damnatur, & ibi virtute tota doctrina Arauficani Concilij continetur. Verum est tamen, nonnullum esse dubium, de auctoritate illorum capitum, quia quantum colligitur ex contextu, & ex stylo, videtur potius adiuncta Epistolæ Cælestini post caput secundum, quia in fine illius videtur concludi Epistola, vt ibi in margine adnotatur. Nihilominus Petrus Diacon. libr. de incarnat. & gratia capit. 11. illa capitula, tanquam Cælestini refert: & iam magnam obtinuerunt auctoritatem, & ad minimum creduntur fuisse Prosperi. Et non sine consultatione Pontificis ibi adiuncta. Præterquam, quod ex alijs Pontificibus multa illorum referuntur. Hormisdæ etiam Papa in Epistola ad Possessorem in fin. tom. 4. Bibli. Sanctorum, mentionem facit capitulorum Apostolicæ Sedis, quæ in scrijjs seruabantur, & doctrinam de gratia contra Semipelagianos continebant. Quæ forte erant illa Cælestini, vel alia missa ad Patres Concilij Arauficani, (quanquam etiam illa Epistola Hormisdæ incerta est.) Quisquis vero fuerit Pontifex, qui illam instructionem ad Concilium Arauficanum misit, non potest esse dubium, quin doctrina illius Concilij, quantum ad id quod intendit, certa de fide sit: intendit autem damnare Semipelagianam doctrinam, præcipue quoad ponendum initium fidei, salutis, aut perseverantiæ, ex parte hominis. Accedit, definitionem illam confirmatam plane esse auctoritate Concilij Trident. Sess. 6. cap. 5.

46. Nihilominus non audeo dicere esse de fide, definitionem huius Concilij, vel Tridentini ita esse intelligendam, vt, cum dicunt initium iustificationis conferri nobis sine meritis, excludere intendant non solum meritum de condigno, sed etiam omne meritum de congruo. Nam post illud Concilium multi doctores graues, & sine dubio magni Theologi, qui illud non ignorarunt, sed diligenter euoluuerunt, non damnant illam sententiam, vt hæreticam, imo nec vt erroneam, vel censura dignam. Et Vega libr. 3. in Trident. cap. 4. & sequentibus, contendit particulam, *gratis*, cum dicimur *gratis* iustificari, vel gratia dicitur *gratis* dari: excludere merita de condigno, non de congruo, & ita intelligit doctrinam Concilij Trident. in cap. 8. Sess. 6. Idemq; significat Toletus in Epistola ad Rom. cap. 8. annot. 31. ait enim, gratiæ solum opponi meritum, quod ex iustitia est, ideoq; non tollere rationem gratiæ, qui ex parte hominis ponunt aliquam causam eius, dummodo non ponant meritum de iustitia. At meritum de congruo, licet sit aliqualis causa, non vero inducit rationem iustitiæ. Antiqui etiam Scholastici non dubitant meritum de congruo attribuiere his operibus moraliter bonis. Difficile ergo est, illam sententiam in illo sensu, vt hæreticam damnare, cum in proprijs terminis damnata non sit, & illationes non sint euidentes.

47. Censura Semipelagianæ doctrine.
Est vero, illa sententia de merito de congruo prima vocationis, fundato in opere solis viribus naturalibus, non sit aperta hæresis, vel error in fide, cenfeo esse omnino falsam, & vitandam doctrinam, & quæ in presenti tempore multorum aures offendit, nec sine magno fundamento. Primo, quia duo fundamenta adducta contra illam sententiam in eo sensu explicatam, & testimonia Scripturæ, in omnibus fundantur, sunt vigentissima. Secundo, quia Concilium Arauficanum absolute damnat ponentes

omne meritum, quod ex parte hominis considerari potest, non vero illud, quod nasci potest ex gratia Dei: saltem auxiliante, cum illud ipsum gratis omnino donetur.

52. Dices ergo ex testimonio Pauli dicentis nos gratis iustificari, adiuncta expositione Concilij, non est certum de fide peccatorem non mereri de condigno infusionem primam gratiæ iustificationis per opera ex gratia facta, quibus se ad illam iustitiam preparat. Probatur sequela. Tum quia Concilium non excludit meritum talium operum, alias omne meritum, etiam de congruo excluderet, quia (vt dixi) absolute excludit omne meritum iustificationis, fundatum in illis operibus, de quibus loquitur. Tum etiam, quia illa particula, *gratis*, quam Concilium exponit, sicut excludit omne meritum, siue de condigno, siue de congruo non fundatum in gratia, ita non excludit meritum fundatum in gratia auxiliante: ergo sicut ex vi illorum verborum non excluditur meritum de congruo gratiæ iustificationis, fundatum in gratia vocationis, & cum opere ex illa facto, cum adiutorio gratiæ: ita non excluditur meritum de condigno eiusdem iustificationis, fundatum in eodem opere. Consequens videtur magnum inconueniens, quia labefactari videtur dogma certissimum. Et quia alias prima iustificatio non esset maior, seu propior gratiæ: quam gratiæ augmentum, vel glorificatio, scilicet in radice, & non in se, ac formaliter.

53. Responderetur primo, siue illud dogma conuincatur ex hoc testimonio Concilij, siue non, nihilominus in se certissimum esse, scilicet, peccatorem non mereri de condigno remissionem peccati mortalis, quia non potest de condigno pro illo satisfacere, vt in 1. tom 3. late probaui. Ac proinde, nec posse de condigno mereri infusionem sanctificantis gratiæ, cum illa sit formalis causa remissionis peccatorum. Ex indignitate enim personæ operantis, & ex debito pœnæ æternæ, quod in se habet, satis continuatur non posse peccatorem de condigno mereri diuinam amicitiam, nec Deum ex iustitia obligare ad beneficium aliquod, nedum sanctificantem gratiam, sibi conferendum. Quare necesse est, vt sanctificatio formalis gratis fiat, non solum remote, & in radice, vt gloria interdum appellatur gratia, sed proxime, ac formaliter, saltem, vt vox, *gratis*, excludit retributionem propriam, & iustitiæ. Vnde in Scriptura nunquam infusio primæ gratiæ vocatur merces, sicut vocatur gloria, quod est signum aliter esse gratiam, quam sit gloria, ac proinde non solum in radice, sed in se, quia ad illam non præcedit meritum de condigno, sicut ad gloriam. Et hoc satis significauit idem Concilium Trident. sequentibus. ea. eiusdem sess. docens posse hominem mereri gloriam, & gratiæ augmentum, non vero gratiam ipsam sanctificantem, quoad eius primam infusionem.

Conc. Trid.

54. Adde vero vterius, hoc etiam satis colligi ex particula, *gratis*, posita à Paulo in illa sententia, *iustificati gratis*. Quia licet fortasse hoc primario dictum sit ad excludendum omne meritum rotius iustificationis ab exordio eius vsque ad consummationem, & consequenter ad excludendum omne meritum fundatum in operibus naturæ, & non in gratia: hoc ipso optime infertur, nullum posse in homine esse meritum gratiæ, considerata conditione, & dignitate hominis secundum se, ac proinde quædiu intelligitur esse in statu peccati, nihil posse mereri de condigno apud Deum. Ac proinde quidquid gratiæ illi confertur, vt ab illo statu eripiat, gratis omnino, ac formaliter conferri, & non solum in radice alicuius prioris gratiæ. Nam licet per opera facta ex auxilio gratiæ, vel per supernaturalem fidem, dicatur homo aliquid de congruo mereri, tamen illud meritum non est ex intrinseca

Suarez. De Deo trinuno.

conditione personæ, sed solum ex dignitate ipsius gratiæ ab extrinseca motione Spiritus sancti prouenientis. Vnde, hæc potest constitui differentia inter meritum de congruo fundatum in sola natura, vel fundatum in motione gratiæ, quod hoc posterius non tollit, quin subsequens donum gratis simpliciter detur ipsi homini: illud vero prius excludit, ne donum sit perfecte, & omnibus modis gratuitum respectu hominis. Quia meritum quod esset à natura, ab ipso homine, & labore, vel dignitate eius proueniret, & ita postulare retributionem respectu ipsiusmet hominis, meritum autem fundatum tantum in congruitate vel dignitate operis, & gratiæ participata, non nititur in ipsa persona, sed in sola gratia. Quod non est idem in merito fundato in gratiæ intrinsece sanctificante ipsam personam, quia iam tunc meritum, & nititur in æterna dignitate personæ operantis, & inducit debitum ex iustitia.

Denique, addere possumus explicationem aliam ad Concil. Trident. Quod nimirum, & loquatur de propria iustificatione formalis, & excludat omne meritum eius, tam de congruo, quam de condigno, per quælibet opera antecedentia iustificationem ipsam, siue naturalia sint, siue supernaturalia, & fidei: dummodo tempore antecedant iustificationem. Quia per actum fidei, spei, timoris, imperfecti doloris, elemosinæ, vel similes, quantumuis fiant ex auxilio gratiæ, & sicut oportet, nunquam meretur homo de congruo iustificationem ipsam, imo nec auxilium efficax ad vltimam dispositionem ad ipsam, sed meretur ad summum per vnam dispositionem remotiorem, auxiliū ad aliam propinquirem, & per hanc vterius auxiliū ad aliam meliorem, & sic deinceps, donec recipiat auxiliū ad vltimam dispositionem. Ecce verum est, per nullum actum antecedente tempore iustificationem, siue sit fides, siue opera, mereri hominem etiam de congruo iustificationem, sed aliquid minus illa. Et hoc satis est, vt ipsa iustificatio omnino gratis detur respectu talium actuum. Quomodo autem detur gratis respectu vltimæ dispositionis, quæ non tempore, sed natura antecedit, hoc non explicauit Concilium, quia fortasse dispositionem illam vltimam sub ipsa iustificatione comprehendit. Tamen de illa etiam debet esse certum, non mereri de condigno infusionem gratiæ sanctificantis, vt in citato loco 3. partis artigi, & in 4. tomo tractando de iustificatione, & latius traditur in materia de gratia. Ideoque respectu dispositionis vltimæ recurrendum est necessario ad doctrinam datam in §. præcedenti, quod respectu illius infunditur habitus gratis, & excludendo debitum iustitiæ, & omne meritum, quod conditioni, & dignitati talis personæ innitatur, quod solum repugnat perfectæ gratiæ, quæ omnino gratis infertur. Et hæc sunt satis de vi, & proprietate illius vocis *gratis*, iuxta usum Scripturæ, & Conciliorum in hac materia usurpatæ: cuius cognitio ad totam materiam de gratia, & de prædestinatione valde necessaria est.

55.

CAPVT VII.

An homo per opera moralia solius liberi arbitrij possit esse causa, saltem dispositiua, prædestinationis suæ, quoad effectus eius.

SUPpono, posse hominem per vires nature bonæ opera moralia efficere in varijs actibus: nam licet sit sermo de homine lapsio viatore, tamen in illo met possunt esse varij status, seu gradus, in quibus aliquo modo habet locum quæstio proposita. Potest ergo intelligi, vel de homine nondum illuminato

Handwritten notes in red ink on the right margin, including the words "A. V." and "D. V." and some illegible scribbles.